

DISSERTAT. HISTORIC,
TERTIAM

An 21

DE

IDOLIS

SLAVORUM,

PRÆSIDE

M. JOHAN. PETRO

LUDOVICO,

POET. LAUR. CÆS.

exponet

MICHAEL Srenkel/

Budissa-Lufatus,

An. c1o 1oc VIIIIC.

Die XXIV. Septembr.

Hora pomeridiana, locoque consveto.

VVITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.

V I R O

*Maximè Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo
Præclarissimoque*

DOMINO,

DN. MICHAELI Gießmann /

**Ecclesiæ Budisfinensis divi Petri ὀρθόδοξοῦ
Pastori Primario, Scholarum & huc pertinentium
Ecclesiarum gravissimo;**

ut &

V I R I S

*Plurimum Reverendis, Nobilissimis, Amplissimis,
Præclarissimisque*

DOMINIS,

DN. M. JOHANNI BASILIO

Zeidler /

DN. M. PAULO PRÆTORIO,

DN. M. JOHANNI FABRO,

**Ecclesiæ Budisfinensis divi Petri orthodoxæ, Pasto-
ribus vigilantissimis meritissimisque;**

***Dominis Patronis, studiorum suorum Promotoribus eter-
num de venerandis, colendisque***

Dissertationem hanc dedicat

MICHAEL Frenzel,

Phil. & SS. Theol. Stud.



DE

JUTERBOCO, seu BELBOCO.

Malos aequae ac bonos Deos
Slavi coluerunt (eee) inter illos Sernebog
erat; hos inter eminebat Juterbog; quod
Luciferi nomen apud Slavos fuisse existimo (fff)
de

A 2

(eee) Schedius ult. de Dis Germ. cap. Vandali inquit in consiliis & computationibus suis pateram olim certis verbis consecrabant, autore Cranzio lib. III. Vandal. c. XXXVII. sub nominibus Deorum boni & mali: omnem prosperam fortunam à bono Deo, aduersam à malo dirigi putantes. Sed duplici malo Schedius haeret: qui primum Vandalos cum Venedis confundit, Cranzio suo domestico errore, ac peculiari; deinde hoc ipso antiquiorem paulo nominare debuisset auctor, quando haec verba non Cranzii sed Helmoldi sunt, lib. I. c. 52. p. 125. S. 2. de Slavorum potandi ritu id asserentis. Cum quo Dittmarus quoque ac Saxo faciunt, auctores passim à nobis citati. Quae colendi mala Numina consuetudo apud alias quoque gentes invaluit. De quibus Raemundus, Vives, Steuchus, Mornaeus, Vossius, Grotius, Seldenus, Cluverus, Schedius, Rossius, aliisque veterum ex instituto variarum gen-

tium theologiam docentes, prolixius egerunt.

(fff) Juterbocum Numinis loco Slavis venisse, apud veteres scriptores non inveni. Oppidi mentionem Dittmarus lib. VI. p. 141. facit, nihil tamen praeter nomen commemorans. Albinum vero in chronico Mesnensi conjectura saltem de Idolo augurari, ipsa verba ejus tit. XI. p. 150. indicant: Sernebog ist so viel als ein schwarzer Gott; gleichwie Juterbog ein Morgen-Gott. Da man *ohne Zweifel auch ein solchen Abgott / welches *vielleicht aurora gewesen / gehret. Daraus dann zu mercken / daß es ein lauter Fabel / was daselbst von der Jutta und ihrem Vock *gesaget wird. Nemo enim putet Albinum posterioribus verbis fabulosos hujus rei scriptores taxare; qui ipse ad fabulam temere ab incolis eius loci creditam, ac tenacissime in hunc usque diem custoditam respicit. Quod edoceri facile poterat Ab-

de cuius tamen cultu ac imagine silent Historici.
(888).

DE ZERNEBOCO.

§. 23. Belboci disimilis Zernebog erat, *malus*
Deus, Slavisque a nigredine dictus. (*bbb*) Ne-
que

binus Vitembergae antea Professor, a qua oppidum non adeo procul distat. Dicunt vero quantum sermone per alios accepi: Juttam insignem liberali hospitio feminam ibi vixisse; quae caprum manifesta superstitione aluerit: apud hanc cum peregrini diverterent subinde, in proverbium abiisse, ut illi qui peterent locum quaerentibus de itinere inter viam responderent: nach der Gutte ihrem Bock in deque Jutterbock factum esse; quod etiamnum creditur a plerisque. Alii tamen, quae conjectura plurimum hodie in primis est, quasi guter Gott dictum esse putant, errore, qui ex Linguae Slavicae imperitia provenit. Slavis enim Juterny mane & Bog Deum atque sic Juterny bog matutinum Deum denotat Luciferum aut Phosphorum; apposite Germani ein Morgenstern. Eundem vero hunc Deum & oppido natales dedisse, atque alio nomine Belbog Slavis, seu album Deum dictum esse allegati auctores existimant.

(*ggg*) Cum nullum hujus rei vestigium apud veteres Historicos extet, quid de cultu ejus divinare nunc debeam, ignorare me fateor. Memini equidem me apud *Varronem* legisse, auro-
ram Graecis acque ac Romanis mul-

tum honoratam fuisse; qui *lib. V. de LL. §. 2. p. 31.* inquit: *Principium diei mane, quod tum manat dies ab oriente. Nisi potius quod bonum antiqui dicebant Manum. Ad cuiusmodi religionem Graeci quoque, cum lumen adfertur, solent dicere Φως ἀγὰς Δῖον.* Ac idem Slavis applicari posse, cum nullibi in veterum monumentis reperiam, non affirmo. obtrudere enim quid praeter illa, temerarii esse censeo. Quantum autem conjectura assequor, *Juternobocum* a *Belboco* paulo diversum esse puto, sub illo *aurorae*, sub hoc *bonos Deos* in universum omnes cultos. Istihue enim *Helmold. p. 6.* digitum intendit; quando plures Deos bonos id est *Belbocos*, plures itidem malos, seu *Zernebocos* apud Slavos fuisse edocet: qui tamen singuli propriis denuo nominibus distinguebantur.

(*bbb*) Hujus dei *Helmoldus lib. I. c. 52. p. 125. §. 2.* meminit: *malum Deum Slavi sua lingua diabol sive Zerneboch, lege Czerneboch, id est nigrum deum appellant.* Quod repetunt ex eo *Ernest. Brotuffius chronic. Merseb. lib. I. p. 446. Munster. Cosm lib. III. Albinus tit. XI. p. 150. Vossius de Idol. gent. lib. I. c. 5. Sched. p. ult. Arnoldi p. 199. Pastor. p. 20. ll. cc.* nullus vero eorum quidquam

que de hoc plura apud Historicos extant (iii).

DE TRIGLA.

§. 24. *Trigla* Slavis *triceps* est, (III) Stetinensi-

A 3

um

addit. *Czorny* tamen *niger* Slavis, *Bog Deus* est, a quo *Czernebog* ater, seu malus Deus dicitur. Cum terrorem hic color oculis animoque incutiat, quod mali Dei munus esse gentes crediderunt; lucis atque albi coloris, omniumque deliciarum simul *Belbocum* sive *Juterbocum* ex adverso arbitrati.

(iii) Quanti hic populus malos Deos fecerit *Helmold.* p. 6. §. 12. indicat; *Regem metuunt Slavi propter familiaritatem Deorum, sed potius Daemonum, quos majori prae ceteris cultura venerantur.* Hos enim rebus adversis praecesse, quas avertant a cultoribus suis, & hostibus inferant, existimarunt, ut supra indicatum ex *Helmoldo* est. Addit *Brottuffius lib. cit. p. 446.* *Zernebog halten sie vor einen Gott / welcher ihnen in jenem Leben böses zusetzete &c.* quod ex *Pirnensi* quoque *Albinus* p. 150. assumit, vellem tamen veterum testimoniis uterentur cum vitam post mortem non credidisse Slavos, censeant alii. Ceterum de cultu ejus denuo nihil quicquam repertum, multo minus de imagine Idoli edoctus. Quo fit, ut in supra dictis nunc penitus persistam.

(III) Multi abditum SS. Trinitatis mysterium in superstitione variarum gentium religione quaesiverunt, subtilitatis magis, quam veritatis laude conspicui. Contra quos, mea sententia, omnium eruditissime *Hieronym.* Flo-

rabantius egit *lib. III. de Beat. Trinit. contra Ethnicos.* *Cluberus* enim sua hic conjectura quoque aberravit, quae ejus notitiam Germanorum majores habuisse *lib. I. c. XXIX. p. 202.* asserit. hinc merito suo in *Vossii* censuram *lib. I. c. 87. p. 271.* incurrit, qui tamen ipse *lib. VIII. c. 12. p. 397. de Idolol. gent.* non penitus ab errore immunis. Meo nunc judicio omnes quoque illi falluntur, qui in *Trigla* Slavorum idolo reconditae hujus sapientiae vestigia quaedam latere existimant: cujus rei quam falsissimi conjectores sint, inferius puto constabit apertius. Quod ante quam fiat, in diversam nominis scripturam, & veram ejus originem denuo inquirendum est. *Triglass Chytraus* in proem. *Metrop.* exprimit; *Arnoldi ad Ross.* p. 179. *Triglas* legit, *Albinus Chron. Misnens.* p. 149. *Trigla.* Omnium diversissime à reliquis *Brottuffius Chronic. Mersseb.* p. 446. *Triphat* scribit. Quid vero haec scripturarum differentiae ac dissimilitudines velint, saepius jam indicatum est. Nominis veras natales quod attinet, a Slavorum *drey* id est, *tria*, & *Slowa* caput provenisse id arbitror. Hinc *Trihlowa* latinis *Trigla*, ad cujus indolem respiciendum esse aliquoties docuimus. huic vocabulo *triceps* aliquis apud Romanos *cerberus* respondet; de quo *Hesiodus*, *Hyginus*, *Apollonius*, *Palaeophatus* aliique agunt: cujus descriptiones nihil divini sapiunt, aeque ac *Trigla* Slavorum nulla veri cultus

um olim ac Brandenburgensium aliorumque loco-
rum idolum; (*mmm*) cui coeli terraeque ac infe-
rorum tribuebatur potestas. (*nnn*) Quod ipsum
tandem

vestigia praebet, ut supra dictum est.

(*mmm*) Non unius loci idolum *Trigla* Slavis fuit. *Brothius* l. c. p. 446. *Brandenburgi* stetit, vestigiis eius ad sua usque tempora relictis. *Albinus* l. c. p. 149. *Brothii* auctoritate nixus idem sentit; ex *Sabino* tamen addens *Brandenburgi* *Marchiae* *Metropoli* eo loco *Triglam* stetit, ubi nunc templum *B. Virginis* sit. Idem porro in *Misnia* ac *Grimmensi* ponte in primis, *triceps* idolum fuisse memorat. Et simile quid *Zbikabie*, templi moenia inclusisse, ex eius oppidi *Chronico Cnauti Prodrum. Misn.* p. 383. nuper edito, docet. *Julini* vero celeberrimo olim *Pomeraniae* oppido nunc *Wollini* angustiis finibus terminato cultum esse *Zeillerus Part. I. Itin. Germ.* c. 17. scribit. At *Stetini* omnium splendidissime idolum extructum fuit. Nam teste *Cramer lib. I. c. 21. sqq.* aureum aureo velamine in capite tectum, in medietate civitatis, supra montem stabat, templi quoque magnitudine ac splendore cum quovis alio Deastro certans. Eodem plane modo *Triglam* olim ad *Colbergam* celebratam esse, nomenque Idoli pagum ad urbem situm, cum aliis in monte ibidem vestigiis retinere, amicus quidam certiores nos fecit.

(*nnn*) Quid muneris tributum *Trigla* fuerit, *Sabini* libro de *Brandenburgi* *March. metropoli*, apud *Albinum* p. 148. docet: *triceps* idolum, *Trigla* dictum, olim *Venedi* summa Generatione

evoluerunt. Id *Diana* fuit simulachrum.

Hanc *Sabini* sententiam *Albinus* suo testimonio approbat: cum, quod ipsa *Diana* ab *Eustathio* ex veterum mente *Trigla* appelletur: cui addi etiam illud *Horatii lib. III. Carm. Od. XXII.* In *Dianam* potest:

Ter vocata audis: - -

Diba triformis.

Nam a *Virgilio* pariter ac *Obidio* tria *Dianae* ora assignari passim invenies. *Causam* ex *Porphyrione* in hunc *Horatii* locum *Anton. Mancinellus* subiungit: quia eadem existimatur *Lucina, Diana, & Proserpina.* *Acron* item *Horatii* Scholiasies in h. l. dicit: *Trina Dianae potestas putatur.* Et utraque *Ascensius* conjungit in ejusdem loci commento; Quod omne suo quoque *Idolo* *Slavi* tribuerunt. De cetero a numero ternario *Triglam* quoque *Graeci* piscem dixerunt. De quo *Johannes c. XVIII. p. 135. de Pisc. Rom.* consulari. Tum vero, quod idem cum *Diana Trigla* idolum fuerit *Albini* conjecturam auget: quando *Triglae* luna quoque tribuebatur; *Dianam* vero quasi diem cum nocte uniat, luna lucente existima, dictam esse *Cic. de nat. Deor. p. 310. lib. II.* ac alibi docet. Quibus etiam *Schedium Syngri c. X. p. 500.* adderem, nisi, quod & alibi observavi, omnia ex *Albino* transcripsisset auctor, nullibi in toto libro eius facta mentione quod tanto viro utique indignum est, nisi satis impeditum, quo minus ul-

tandem diverso tempore diversis in locis eversum
est (000).

DE FLINSIO.

§. 25. Flinz Lusatorum præcipuus Deaster (ppp)
a Flinz lapide, cui insiltebat, dictus, (qqq) facie
pallidus

timam libro manum imponeret excu-
sandum esse putemus. Arnoldus vero
pleraque Schedio debet, qui ex auctore
Anonymo *vitae Othon. III. c. 26. & 22.*
refert; *Triglae eqbus generosus sacer-*
erat, nigri coloris, qui magno studio a
quodam Sacerdote curabatur, a quo in
bellum ituri rei eventum explicabant.
Quod cum nullibi apud alios reperiam,
& ipse ritus ex *asse Suantebito* respon-
deat, aut hunc cum *Trigla* confundi, aut
rem omnem fabulosam esse existimo.
cum bella & praelia curare Deae non
sit; in Dearum vero numero *Triglam*
fuisse hæcenus ostensum est, nec ipsi,
qui contra sentiunt Schedius & Arnol-
dus, inficiantur auctores.

(000) Stetini cultus hic sæpe interdi-
ctus est. Tandem caput idoli *Otto*
Episcopus Honorio Pontif. Roman
misit, corpus vero confregit, vid. vita
Ott. Episc. p. 36. edit. Colberg. Quod
subinde repetiisse Slavos, nonnunquam
& reparasse Cramerus d. l. auctor est.
In pago tamen ad Colbergam sito, cui
Trigla ab idolo hoc nomen est, rudera
ejus in montis fastigio, ad hunc usque
diem ostenduntur. Et ante seculum
in Misnia quoque imaginem ejus hinc
delatuisse, supradocuimus.

(ppp) Sorabis, Slavorum in Lusa-
tia genti in primis ab auctoribus tribui-

tur Deaster. Citat *Chronicon Saxon.*
Syngram. III. c. VII. p. 486 Schedius in
hanc rem; Vandalos equidem cum
Venedis denuo confundens, errore su-
perius a nobis animadverso. *Brottuf-*
sus itidem *Lusatorum Idolum p. 446.*
lib. cit. dicit. Quibuscum præter re-
centiores scriptores, veterum quoque
monumenta concordant. Cum lo-
cus ubi steterit idolum, in pago ad Ba-
dissam cui *Dehne* nomen est, pluribus
in Lusatia cognitus sit, cujus ingens
lapidum in monte moles, certissima
vestigia præbet, De quo vid. *Plur Rev.*
D. Frenzel parens tractat, de *Bapt. in*
praefat.

(qqq) Nomen Flinz Illustris Spa-
te in *Lexic. Germ.* a Germanico *Flin-*
cken deducit; cum quo fecisse & *Schot-*
telius videtur. Quanquam vero hoc
literae admittunt, Slavos tamen suos
sua lingua Deos dixisse arbitramur.
Flinz enim Slavis lapidem designat,
splendidum forte ac durum, qualis est
Flinten-Stein. Huic quando impo-
situs Flinsius fuit, ab eodem quoque
dictum esse censeo. Aberrat conje-
ctura *Schedius l. c. Suspicio Flinsium in*
honorem Visilai, vulgo Dizlaum ere-
ctum fuisse, Regis Obotritorum, quae
vox tandem corrupta annis sit, atque
Flinz ab imperitiis scriptoribus dictum

pallidus erat, (r r r) ac mortis propterea arbiter,
(s s s) a Lothario tandem II. deletus (t t t).

DE ZUTTIBERO.

§. 26. Faunus Slavorum *Zuttiber* fuit (u u u) a
Zowdzowyn nominatus, (x x x) Ejus idolum in
sylva

(r r r) Figuram Idoli *Albin. lib. cit. p. 149.* describit, *Monachi Pirnensis ac Chron. Sax.* nixus assertis: *Sling* filici impositum Saxones a lapide dicunt. Hujus cadaverosum corpus longo pallio tegebatur, manu baculum tenens, cum tumente vesica, sinistro humero leo insidebat; quod veteres ita interpretantur, ac si per eum se a mortuis excitandos credidissent Slavi. Addit *Verstegan* apud *Arnold. p. 178.* dextra manu facem gestasse. Aliter paulo *Manlius in chron. MSC.* describit; fuisse enim perhibet *Idolum nigra caesarie, rubei coloris pallio accinctum. Dextra manu perticam gessisse, cui ceu flava merges si: e manipulus spicarum, & is quidem in summitate ardens esset praefixus.*

(s s s) Cum tota figura ad brevitatem partim vitae humanae facere queat, quorsum vesicam, ac facem referas; partim aperta funesti casus signa, ut pallium, baculum, facem etiam ac Leonem, prae se ferat; ipsumque idolum cadaveri simile sit: morientium patronus Slavis fuerit, scriptores collegerunt. Quod iudicium *Albinus* quoque de citatis sibi auctoribus fert.

(t t t) *Lotharium II.* Saxonem c. CXXVI novennio antequam Imperator fieret, destruxisse idolum

Manl. in Chron. MSC. refert, cui *Brot-tuffius* quoque & *Albinus* ll. cc. patrocinantur.

(u u u) Romanorum aut Graecorum in sylvis superstitiones exponere prolixum nimis esset, quanquam non a scopis penitus alienum. Quid *Celtae* ac *Germani* in lucis fecerint, *Schedius* ac *Cluverus* exponunt. Hac vero superstitione Slavi *Zuttiberum* suum coluerunt. Quem *Borttuffius* Daemonem propterea dicit, einen *Holzteuffel*,

(x x x) Errant denuo, qui nomen a Germanorum *Zottigt* & *Beer* derivant, usque figuram sine fundamento idolo tribuunt. Faunos equidem pilosos plerumque describi ab auctoribus scio; at vero Germanos cum *Venedis* confundendos non esse, id est, quod saepius monui. Quaeri igitur vocabulum apud Slavos debet, cui quoque *Zoldzower* vel *Zowdzower* quod illis *glandifer* est, Deus in *quercibus* cultus, respondet. *o* in facile in *u* transit; ut Graecorum *ou*: *W* itidem cum *ß* & *β* saepissime permutatur, sic *Wandali*, *Vandali*, & *Βάνδαλοι* scribitur. quibus ita dispositis *Zudzober* fit, & ad pronuntiationis difficultatem sublevandam *Zuttiber*. Quercum vero honoratam arborem Slavis ac Deo huic sacram fuisse nunc porro docemus.

sylva Merseburgo proxima Daemonis instar colebatur: (yyy) At seculo XI. jam lucus excisus est, ipsaque superstitio penitus sublata (zzz).

DE HENILO.

§. 27. Inter Deos domesticos ac tutelares Slavorum *Henilo* fuit, ab *Honidlo* / *averrunco* eis, sic appellatus. (aaaa) Qui ostiatim ad cultores deferebatur, certa ad custodiendum suos a sacrificulo formula admonitus (bbbb).

B

§. 28.

(yyy) Lucum idoli ac superstitionem omnium clarissime *Brottuffius Chron. Mersf. p. 462. lib. II c. VI.* describit; cuius verba, cum auctor non adeo obuius ubique sit, huc adscribemus: *Zuttibero* haben die Bürger der Stadt *Merseburg* einen lucum das ist / ein *Eichwald* heiligen lassen / darin hat bey Verlierung seines Lebens / niemand einen Baum oder Ast dürffen abhauen / denn sie alle dem Abgott geheiliget / daselbst seind im Jahr zu gewisser bestimmten Zeit / viel Heyden und abgöttische Wenden von fern zusammen kommen / haben dem Teufel *Zuttibero* geopfert / und ihn angebetet / es hat auch der *Zuttiberus* seine eigene Pfaffen gehabt / mit ihren ritibus sacrificiorum. Ex quo ad verbum *Albinus chron. Misniens. p. 146.* transcribit. Nec alia *Schneiderus chron. Lips. lib. I. p. 142.* affert, cui quoque *Peifer. in Lips. lib. III. p. 279.* alique accedunt. Sylvam vero ad *Salam* fluvium non procul a *Merseburgensium* ponte

floruisse, idem *Brottuffius lib. II. c. 6. p. 582.* arbitratur. (zzz) *Wigbertum* (quem alibi *Wigvvertum* vocat, & cum *b* mutato, uti ex *Zuttiber Zuttiber* factum ab eodem est) *Merseburgensium* Episcopum, cuius vitam *lib. II. c. 6. p. 585. sq.* recenset, superstitioni huic finem fecisse *l. c.* dicit; quando post C. N. 1007. lucum cum cultu, igne ac flammis penitus deleverit. Cuius rei vestigia e *Salano* ad *Merseburgum* ponte, suo adhuc tempore in innumeris quercibus terra sabuloque sepultis in fluvio observasse, idem testis est. (aaaa) *Honiu* Slavis *arcere* est, *Honidlo* *averruncum* iisdem denotat, Germ. ein *Geschenke*. Ab *Honidlo* vero *Henilo* factum esse, arbitramur; quandoquidem id omne, quod dicitur de idolo, cum hac voce optime concordat. (bbbb) Omnium apertissime idolum *Ditmarus lib. VII. Chron. Mersf. p. 226. sq.* definit. Cum enim de spectro disceivisset, mulieri cuidam, suo tem-

DE CIZA.

§. 28. Inter Deas Soraborum *Ciza* erat, a *mammis* sic dicta; (cccc) unde *Cizae* urbi nomen venit, ubi steterat ante idolum, (dddd) ad Caroli M. tempora usque cultum (eeee).

DE

potere satis infesto, inquit: Non est admirandum, quod in his partibus tale ostendatur prodigium. Nam habitatores illi raro in Ecclesiam venientes, de suorum visitatione custodum nil curant: domesticos colunt Deos, multumque prodesse eosdem sperantes, his immolant. Audisti de quodam baculo, in cuius summitate manus erat, unum in se ferreum tenens circulum, qui a Pastore illius villae, in qua is fuerat, per omnes domos has singulariter ductus in primo introitu a portatore suo sic salutaretur: Vegila Henil, vigila. Sic enim rustica vocabatur lingua, & epulantes ibi delicate de ejusdem se tueri custodia stulti autumabant. Et haecenus *Ditmarus*, in reliquis enim scriptoribus nihil ejus invenimus.

(cccc) Ejc (Germ. *Ziz*) Slavorum Lingva *mammillas* notat: Deam itaque *Mammillarum Cizam* interpretamur. Nam *Isidis* loco, de qua *Plutarchus*, *Lucianus* alique, Slavis *Cizam* fuisse, munia ejus comprobant: quae eo tendebant singula, ut foecunditatem in omni animantium genere promoveret, & parturientium maxime sublevaret labores. Quorsum *Albini* testimonium p. 54. pertinet; qui quidem *Cizam* a *Cerere* dictam esse putat; mox tamen addit; *Ciza* id est, mam-

mosa quasi altrix. Eine Ernehrerin aller Ding. Von welchen Nahmen etliche das Zitzkraut darant in der Marck und bey dem Lauzigern viet gehalten wird / her deriviren / gleich wie von Iside das Kraut *Yserharr*. haec *Albinus*.

(dddd) *Brotuffius* lib. II. *Chronie. Mers.* p. 567. *Zizam* a *Zittone* Principe ac conditore suo dictam esse existimat. De qua tamen origine *Joh. Garzon Bononiensis* in *Chron.* p. 384. ante eum admodum ambigit, qui *Zizam* a quodam fortassis *Zittone* dictam esse, dubius omnino pronuntiat. Nobis *Ziza* Dea oppido nomen dedisse, videtur: cum quod ibi ejus idolum stetisse sciamus; tum vero *Numburgenses* Episcopi, pariter *mammillarum* Praefules, id est *Zizae* urbis dicantur. Quae conjectura *Cnauthii* quoque est p. 296. l. c.

(eeee) *Carolus* M. Imperator cum conditor Episcopatus *Cizensis* sit, juxta *Brotuffium* lib. I c. 18. & *Albinum* c. XI. p. 142. *Cizam* idolum destruxerit quoque ac deleverit oportet. Coarguendi propterea illi sunt, qui idem *Henticum* Aucupem praestitisse demum existimant. In quorum numero praeter meritum a *Cnauthio* *Ditmarus* habetur, cum nihil ejus rei apud auctorem, quantum videre potui, extet.

DE MARZANA.

§. 29. Mortem Slavi sub *Marzana* idolo coluerunt; ne ante tempus ea praevenirentur. (gggg) communis haec superstitio Polonis, Silesiis, Lufatis, Misnensibus aliisque fuit: a *Miesco* Polonorum Rege seculo X. maxime sublata (bbbb).

B 2

DE

(gggg) *Morze* Polonis *interficere* est; pro quo Slavi *Moritu* dicunt, Germani *morden*. *Marzana* ergo (rectius *Marzawa* / vel *Marzava*) *femina homicidam* notat, eine *Mörderin*. Mortem enim substantiam esse misera gens credidit, quam precibus ac factis arcere a se facile posset, ne immaturo obitu ab ea obrueretur. Quam in superstitione, qui praeterea ex Ethnicis fuerint *Voss. de Idol. lib. I c. 19 & lib. IX. c. 39.* tradit. Et plures sane extiterunt qui mortem sive aerem pestilentissimum esse, sive bestiam mordacem existimarunt. hinc ipsam mortem a mordendo quidam dixerunt, quo de Critici. Illud vero commentum hodiernum defendere, Christiano Philosopho longe indignissimum est. Pudet turpissimi erroris, quo anonymus quis mortem *Sermiculum* esse in epistola Francofurti 1650. edita asseruit: quem iure meritoque *Wagnerus* peculiari disputatione perstrinxit, cui titulus, *Mors Mortua* est, *Vitembergae* aliquoties recusa. Sed in viam redeundum, & quam tenaciter Slavi cultum *Marzana* tenuerint, demonstrandam est. Errat vero *Cromerus*, qui *lib. III. de Reb. Gest. Polon. Marzanam* cum *Cerere*, aut *Ziza* Slavorum confundit. Nec melior eo *Vos-*

sus de Idol. lib. I. c. 39. est, quando pro *Veneri Marzanam* Slavis fuisse existimat. Uterque enim sibi ipse in ritibus ac caeremoniis huic Deae tributis, quas lugubri pompa absolvit, adversatur. Et quam aperte ipsa, quae in hunc usque diem in *Lusatia Marzanae* consuetudo viget, *Cereri* ac *Veneri* Deabus repugnat. Dominica enim *Lactare* icolum stramineum, quod altera manu scopas tenet, altera falcem foenariam gestat, ac albi coloris veste tegitur, in perticae fastigio circumferunt, luctuoso vestimenti genere amictae mulieres. Hoc postea inter cantus lugubres ac ejulationes, variis inter viam contumeliis agunt, lutoque conspergunt, ac extra fines tandem suae regionis positum discerpunt, ac dilaniant. Domum vero reversae mulieres convivia celebrant, totum diem istis consumentes. Quem ritum & suo tempore observarunt *Matth. de Michovia lib. II. Chron. Polon. c. 2. Alex. Gagninus Chron. Pol. de Miescone, Schneid. Chron. Lips. L. IV p. 143. & qui hos citat Arnold. ad Ross c. 8. p. 116. sqq.*
(bbbb) Destructum idolum Seculo X. a *Mieslao* seu *Miesco* Polonorum Rege est. Cum enim maximam partem Poloni ad fidem tunc Christianam

DE SIWA.

§. 30. Siwa Raceburgensium Dea fuit, (iiii) a
Siwa/quod Slavis *vitalem* notat, dicta. (llll) Haec
Cereris

perducerentur, in desuetudinem haec
superstitio abiit, ipsaque idola die VII.
Martii, ad annum Ch n 965. Dominica
Lactare, jubente ac imperante *Mies-
lao*, in cineres cremata partim, & in flu-
men praecipitata; partim ex altissi-
mis locis dejecta, & nullis non contu-
meliis acta sunt. In cujus rei memori-
am diem hunc *atram dominicam* ap-
pellant, ipsasque caeremonias, sive
superstitutionis, sive contumeliae causa
in pristinos Deastros suos, ad hunc di-
em usque solenni ritu repetunt. vid.
Curaeus in Annal. Siles. p. 31. & *Gbag-
nius l. c.* Alios vero hujus generis ri-
tus *Arnoldus* addit c. 8 p. 118. auctori-
sacpius a nobis citatus.

(iiii) Polaborum Deam, hoc est,
Raceburgensium, in primis *Sibbam*
fuisse *Helmold. lib. I. c. 52 §. 2* au-
tor est. Quo ergo hic fundamen-
to *Brottuffius lib. I. c. 3. p. 446. Chron.
Merseburg.* nitatur; qui eandem Nor-
dalbingorum facit, quae *Oldenburgi*
(nunc Lubeca dicitur, teste *Woltero*
*Chronic. Bremens. p. 44. Tom. II. Scri-
ptor. Germ. Meibomii*) culta fuerit;
equidem nescio. Quem tamen citra
ulteriorem investigationem sequitur
Albinus Chronic. Misnens. tit. XI. p. 150
Sub *Polabis* enim minime *Nordalbin-*
gos intelligit *Helmoldus*, quo nomine
folos *Sturmarios, Holzatos & Ther-*
marzos complectitur *lib. I. Chron. c.*
XLVII. p. 114 §. 2. licet aliis scriptori-

bus *Polabos* nonnunquam *Nordalbin-*
gos, vel *Lubecenses* esse largiamur.

(llll) Unde nata *Sibbae Deae* vox
sit, auctoribus non adeo constat. *Sche-*
dus a veritate mihi nimis abire videtur,
quando ad ejus Originem repetendam
Syngram. III. c. IX. p. 457. ita differit:
Syebam hanc puto corrupta voce dia-
ctam esse, alias symbullam. Argu-
mento est, quod a Polabis seu Herulis
culta fuerit; & ipsa mater totius Re-
giae Profapiae Principum Vandaliae
& Megalispoleos, cui posteri tanquam
magna matri gratificaturi in perpetu-
am memoriam stelam dedicarunt. Fuit
filia Sitalcis Regis Gothorum, Anthyrus
Magno nupta. Sed & multas causas
haec nobis origo subleuat fidei videtur.
Primum enim *Anthyrum*, quem sub
Alexandro Magno militasse dicunt,
Obotritorum primum Principem fuisse,
plures dubitant, de quibus *Bangerk.*
in Helm. p. 35. columna 1. sub sin. agit,
cum quo confer quae *p. 127. lat. 1. ha-*
bet. Deinceps a *Symbulla Syba* quam
longissime abest, & longius, si cum *Hel-*
moldo & reliquis *Sibba* exprimimus;
imo de re ipsa altum apud scriptores si-
lentium est, hinc jure meritoque ab il-
lo hic facimus discessum. Veriores il-
li nobis videntur qui Slavicam vocem
etiamnum usitatum *Siwa* hoc est *vi-*
talem huc trahunt, quod idolo ac feri-
pturae quam aptissime convenit. *Vitae*
enim & frugalitatis mater *Racebus-*

Cereris imagine pingebatur. (m m m m) quam
Henricus Leo demum delevisse creditur; templo in
istius locum, ad Seculi XII. exitum magnifice ex-
tracto (n n n n).

DE DEABUS LUITICIORUM.

§. 31. Ditmarus, Saxonum Imperatorum Seculi
X. Scriptor, Dearum quarundam mentionem facit,
quas Lufati in bellis ac praeliis secum habuerunt, ve-
xillis cum artificio intextas. Cum vero de earum no-
minibus nihil porro commemoret auctor, nec sup-

pleri
genibus fuerit, figura ejus rem in-
dicat apertius.

(m m m m) Idolum enim sic descri-
bitur a *Bangerto* p. 127. in *Helmoldum*:
stabat illa utraque manu in tergum re-
jecta, altera uvam cum folio viridi,
pomum aureum altera tenens. Capil-
li per tergum ad poplites usque flue-
bant. Eodem modo *Schedius Syng.*
III. c. IX p. 487. describit, qui tamen
de cultu ejus addit: *Hanc veneraban-
tur summo honore, eique uti & Rada-
gusae Baviis ritibus sacrificabant. Co-
gregebantur enim tam viri quam femi-
nae, una cum juvenibus, & Dis hisce im-
molabant boves & oves: Christianos et-
iam, quorum sanguine delectari statuas
illas Hierophantae praedicabant. Ma-
tatis hostis sanguinem mystae liba-
bant, quo paratiores & habiliores essent
ad battei nandum. Finito sacrificio po-
pulus ad comedendum & bibendum con-
vertebatur.* Vellem hic *Schedius* au-

ctorem ex veteribus nominasset, mihi
enim ex aliorum Deorum ritibus haec
compilasse haecenus videtur; cum omnia
Helmoldus aliis quoq; Deastris tribuat,
(n n n n) *Vicelinum Lubecensem*
Episcopum, qui circa annum nsc. Cae-
tum divinum moderatus est, idolum
Sibbae delevisse *Brottuffius* l. c. vult
cui equidem non refragamur, quippe
in variis locis verbum domini disse-
minasse illum *Alberti Crummedykii*
chronicon Lubecense a *Meibomio* Tom.
II Scriptor. Germ. p. 389. editum, ad an-
M C LII. testatur. Neque dissentiunt
ab illo, qui Henricum Leonem destru-
xisse idolum, atque aedem sacram isto
huc, ubi steterit Dea splendide extruxis-
se, existimant; qua in sententia *Ban-
gertus*, & *Arnoldus* sunt l. c. Henricus
enim Leo sub idem tempus vixit, & *Vi-
celino* Episcopo in capite religionis sub-
inde usus est. vid. *Helmold lib I* capiti-
bus diversis. Quando vero templum

pleri historia ex aliis facile queat, in hujus unico testimonio acquiescendum est (0000).

DE PRONO seu PROVE.

§. 31. Magna in veneratione apud Wagrios *Prono*, aliis *Prove* deaster fuit. (pppp) Quem agriculturæ patrocini-

extrui coepit, tunc fatis jam concesserat Vicelinus. Sub finem enim vitæ suæ Henricum ad templa hinc inde erigenda multos demum sumptus fecisse Arnoldus lib. IV. c. XX. p. 419. §. 5. in continuatione Helmoldi tradit.

(0000) Luiticios hic Lusatos esse Manl. de Reb. Lusat. lib. I. MSC. testatur; neque verba Ditmari, quæ lib. VII. Chron. p. 223. extant, aliter volunt: Luitiei redeuntes irati dedecus Deæ suimet illatum, queruntur. Nam hæc in Sexillis formata a quodam Hermannii Marchionis socio lapide uno trajecta est: Et dum hoc ministri ejus Imperatori dolenter retulissent; ad emendationem XII. talenta perceperunt. Et cum juxta Worzin civitatem, Mildam nimis effusam transire voluissent, deam egregio L. militum comitatu alteram perdiderrunt. Tam malo omine residui domum venientes, a serbitio Caesaris se malorum instinctu abalienare nituntur. Sea habito post, communi suimet placito a prioribus suis convertuntur; hæc ille. Plura enim non inveni, neque apud alios auctores harum Dearum memoriam fieri memini. Rarum enim exemplum, quando sequior sexus fortitudinis ac roboris vim largiri militibus, a Luiticis juxta Ditmarum credebatur Sed nihil tamen novi apud Germa-

nos est, qui non ante praeliis decertabant, quam matres familias in consilium adhibuerant, an committendæ sint acies, de quibus erudite Schedius egit de DLs Germ. Syngram. II. c. XLIII. p. 430. sqq. cum quibus Cluverus quoque conferri meretur lib. I. in German. antiqua & alibi passim. Sacrarum item mulierum consilia, jussa, responsa & omina plurimum apud Celtas valuisse Marc. Zuerius Boxhornius in originibus, Gallic. c. 2. &c. erudite demonstrat. Causam hujus rei invenies apud Tacitum in primis de M. G. ubi confer quæ inter alios interpretes Magnif. Kirckmajerus in hæc loca animadvertit.

(pppp) Helmoldus Deæstri hujus aliquoties mentionem facit. Quem lib. I. c. 52 p. 125. §. 2. Altenburgensis terræ Deum dicit. quod idem lib. I. c. 69. p. 160. §. 15. & c. 83 p. 185. §. 3. repetit. Cum vero inter principes Wagriorum urbes Altenburgum fuerit, nullum est dubium, quin in tota eorum regione hic quoque cultus deæstæ sit, quamvis in sola Altenburgo urbe ejus steterit idolum; id quod & in aliis Slavorum idolis animadvertimus. Et Wagriorum deæstæ a Bargerto dicitur p. 126. in Helmoldum. Celebratissimam enim ejus superstitionem fuisse, indicata modo Helmoldi loca satis superque testantur.

patrocinium sustinuisse e nomine inprimis conje-
ctor. (9999) Virili ceterum forma in columna
stabat, corona caput redimitus, oblongis atque ere-
ctis auribus. Dextra vomerem gestabat, hastam
sinistra manu cum vexillo tenens, ac ocreas pedibus
indutus. (rrrr) Ei singularis sacerdos erat, qui
Miche dicebatur, atque luci curam, deastro dica-
ti,

(9999) In scriptura hic admodum
discrepant auctores, magisque in ori-
gine quaerenda dissentiunt. *Bangertus* l. c. de ha voce ita differit: *Nomen*
idoli dupliciter effertur; Prove & Pro-
no. Prior lectio est in MSC. altera in
chronico antiquo Saxoniae. Priorem
confirmat nomen ubi in Wagria, ubi ido-
lum ejus in loco stetit, qui hucus ab illo
Provenari in hunc usque diem dicitur.
Sed ipse haeret *Bangertus*, cum unde
vox orta sit, nesciat *Slavicae Linguae*
ignarus, quanquam *Prono* scribendum
esse, statuere videatur. Ceterum de na-
talibus vocabuli multa afferuntur, alii
a *probando* Germanorum etiam *pro-*
bigen id est explorare rem, dictam *Pro-*
be ab initio esse existimant. Cujus of-
ficii ac munus fuerit in veritate ac
falsitatem rerum inquirere, quosum
etiam ferrum, quod manu tenebat ido-
lum, referunt, & *probationis* dicunt, ein
Proveisen. vid. *Bangertus* d. l. *Cran-*
zium vero apud *Schedium* a Graeco
περίνοια deducit, quod Dei providen-
tia mundus regatur. Sed hunc ipse re-
futatur *Syngram ult. c. XI. p. 501.* ubi ita
ait: *potius, prout conjicimus, Brennus*
erit Rex antiquae Germaniae, cui poste-
ri statuam erexere, & templum dica-
runt in perpetuam memoriam; quam
deinde ignara & stupida plebecula pro
Brenno Prono dixit. Sed fallitur Sche-
dus, quid enim Germani cum Vene-
dis? & quis Slavorum deastros Germa-
norum heroes, juratos hostes fuisse nisi
contra omnes historicos asserat? Illis
igitur haec etyma digna saltem sunt,
qui Slavicae Linguae indocti, inanibus
conjecturis quid assequi voluerunt,
quam vero aberraverint semper, hacte-
nus indicatum est. Nobis Prono a Sla-
vorum Brone nomen venisse credibi-
le videtur; ea vero voce quicquid ad
agriculturam pertinet comprehendunt.
Et hoc modo vomerem idoli, ocreas,
coronam, ac aures assumimus, uti nunc
porro constabit.
(rrrr) Ipsum idolum & figuram
ejus *Bangertus* p. 126. exhibet, a quo
Arnoldus p. 158. repetit. Vultus ejus
ibi rugis contrahitur, totum corpus
incultum plane & asperum est, ac ita
ubivis deforme; ut agrestem & rusti-
cum hominem bene penitus sistere vi-
deatur. Vomerem hinc, quem dex-
tra tenet, non probationis esse, quo fer-
ro candido in veritatem inquisiverint
Slavi, uti cum aliis *Bangertus* p. 189
vult, sed signum sui, quod habebat mu-

951
951
ti, gerebat. (ssss) Sublata vero haec superstitio a Geroldo Altenburgensi Episcopo Sec. XII. dicitur, lucco propriis ab eodem manibus exciso (tttt).

neris inter agricolas existimamus, uti modo indicatum est. Coronam deinceps messem decere, quae agrorum deliciae ferta ac coronae dicitur, quam notissimum est. Aures vero sive bovis sive asini dicam, agricolarum labores optime referunt. Ipsa deinceps hasta hominem agrestem convenit, quae bestias ab agris arcere, aut alia se ratione contra hostes tueri valeat. De quibus *Helmoldus*, *Crantius*, *Bangertus*, *Schedius*, *Arnoldus*, alique conferrantur.

(ssss) Sacrificulum hujus deastris peculiare a munere suo nomen habebat, de quo ita *Helmoldus lib. I. c. 69. p. 160. §. 15. nomen Flaminis qui praeerat superstitioni eorum, erat Mike.* *Schedio Mische* scribitur. Unde vox ipsa provenerit, non certo constat; in Lusatia hodienu *Mische* monachum dicunt, quod an huc pertineat non curo.

(tttt) De destructione idoli ita loquitur *Schedius l. c. Geroldus Episcopus*

Altenburgensis idolum subvertit, lucum & nemus illi dicatum propria manu excidit, & combussit. Sed cum nulla veterum scriptorum nitatur auctoritate *Schedius*, merito de re ipsa dubitamus. *Vicelinus* enim jam *Altenburgi aras ac focos veri Dei instituit, ipseque Episcopatus ab Ottonis M. floruit temporibus*, uti inter alios *Chronicon Lubecense apud Meibomium Tom. II. rerum Germanic. p. 395. habet, Geroldus vero M. C. LVIII. ad Episcopatum pervenit, Vicelino* surrogatus. Si vero *Propo* idolum *Lubecae* quoque stetit, uti quosdam velle *Bangertus* indicat, *Geroldum*, qui *Henrici Leonis* s. *ffragio Altenburgensem Episcopatum Lubecam transtulit*, jam tum *florantissimam urbem. cum primus ibi Episcopus factus esset, templis ac sacris aedibus ornasse Episcopatum, & omnes superstitionis reliquias penitus delevisse, aliquanto cum veritate consentis.*



V. D. 77

D
Eccl

P


D

D

D

Ec

Dom



no, Amplissimo

Geiffmann /

mos orthodoxæ,
ic pertinentium

10;

nis, Amplissimis,

BASILIO

ÆTORIO,

FABRO,

orthodoxæ, Pasto-
fimisq;

Promotoribus eter-
ndisque

em hanc dedicat

HAEL Frenzel,

& SS. Theol. Stud.

